



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

§. 88. Congregationes XLVII. XLVIII. XLIX & L.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

§. LXXXVIII.

Congregationes XLVII. XLVIII.
XLIX. & L.Sæc. XVII.
A. C. 1604.

Die vigesima prima Aprilis in Congregatione quadragesima septima in quæstionem vocabatur sequens articulus: *An Deus essentialiter, exigat ab homine, ut prius faciat quod in se est, antequam fidem donet? quamvis enim Deus fidem non conferat propter ea, quæ antecedunt, nihilominus illam concedere non solet, nisi antecedant, ut dicit Molina.*

P. Livin.

l. 5. c. 32.

P. Serry

l. 3. c. 33.

Non diffitebatur Bastida, quod Molina affirmavit, Deum nunquam denegare gratiam facienti ex suis naturalibus, quod in se est: demonstrabat tamen, eum nunquam admisisse, quod Deus ad dandam gratiam effectualiter exigat, ut homo prius faciat, quod in se est. Verum hanc fuisse Molinæ sententiam comprobare nitebatur Lemofius, eoquod hic Author statuatur, Deum ex certa lege gratiam prævenientem conferre, quoties homo viribus naturæ facit, quod in se est, simulque actus liberos moraliter bonos interiori vocationi præexigat. Absoluto hoc congressu die vigesima tertia Aprilis in Congregatione quadragesima octava decisum, hanc propositionem non esse consonam

Ee 3

nam

Sæc. XVII. nam doctrinæ S. Augustini; sed ab ea quæ
A. C. 1604. longissime discedere, & continere errorem
 Pelagianorum. Molinam vero in sensu Pelagiano illam docuisse, ut ex pluribus locis illius **CONCORDIÆ** ad invicem collatis constabat. Nihilominus tamen Dominicus Episcopus Aquilanus censuit propositam esse Pelagianam; sed addidit sibi non constare, quod Molina illam asseruerit. Petrus Rada dixit se non invenisse hanc propositionem apud Molinam totidem & formis verbis; legisse tamen aliam deteriorem, qua illa facile deducitur. P. Regens Collegii Carmelitarum dixit, hanc propositionem Molinæ non esse alienam a Doctrina S. Augustini.

Porro in Congregatione quadraginta nona die trigesima ejusdem Mensis disputatum est de actibus credendi & diligendi Deum, quos (licet supernaturalis atque ex fine bonos & ad salutem conducentes) Molina tamen libere arbitrio tribuisse dicebatur: unde in Congregatione quinquagesima die prima Maji decisum, actus hosce eliciri propter Deum, & cum omnibus bonis circumstantiis, esse actus prout oportet: atque adeo elici non posse, sine Spiritus Sancti gratia, & idcirco Molinam errasse, asserendo, posse hominem ex sola facultate naturalis credere, sperare & diligere.